



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XXXIII. Num Dei amor, ubi ad summam perfectionem evasit totam unus occupare animam debeat, omnêmque etiam æternæ beatitudinis, gratiæque sanctificantis, & Christianarum virtutum, & cujuscunque ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

## CAPUT XXXIII.

Num DEI amor, ubi ad summam perfectionem evasit, totam unus occupare animam debeat, omnemque etiam æternæ beatitudinis, gratiæque sanctificantis, & Christianarum virtutum, & cujuscunque demum boni, quod DEUS ipse non est, ab ea amorem excludere?

**T** melius perspici, & decidi queat, quod in disceptationem hic venit, quæ certa in eo sunt, à dubiis separare opus est. Certum itaque est primò, DEUM præcipere, ut velimus, & quæramus gratiam sanctificantem, Christianas virtutes, æternam beatitudinem, juxta illud Apostoli: (1. ad Thes. c. 4.) *Hæc est voluntas DEI, sanctificatio vestra: nec proinde fieri posse, ut amor divinus id à nobis fieri prohibeat.* Certum est rursus, ità Deum à nobis exigere prædictorum bonorum voluntatem, & curam, ut non tamen semper, hoc est quovis temporis puncto, præsentem actu esse in nostris animis jubeat: fierique possit.

posse, ut amor divinus ad aliquod tempus ab  
expresso, signatòque illius actu per altiorem  
in DEO uno occupationem nos avocet. Cer-  
tum præterea est, duobus modis nos posse  
supernaturalia id genus bona quærere, & vel-  
le: altero nempe minùs perfecto, hoc est no-  
stræ duntaxat utilitatis, excellentiæque gratiâ,  
altero autem perfectiori, divinæ nimirum  
voluntatis, gloriæque respectu: & proinde  
à perfecto DEI amore, qui *meliora æmulatur  
charismata*, primum illum præ hoc altero ex-  
cludi. Verissimè siquidem Augustinus cum  
DEO loquens: *Minùs, inquit, te Domine amat,  
qui tecum aliquid amat, quod non propter te a-  
mat.* (L. 10. Conf. c. 19.) Unde tandem colli-  
gitur, si ad quidpiam propriè amandum, fa-  
tis sit illud quærere, & velle; quemadmo-  
dum impossibile omnino est, ut amor divi-  
nus à supernaturalibus gratiæ, & gloriæ bo-  
nis absolutè optandis, quærendisque nos a-  
vocet; sic non minùs impossibile esse, ut eo-  
rum amorem universè à nobis excludat: &  
consequenter amoris nomen in contractiori  
alia significatione accipiendum hic esse: ni-  
mirum pro peculiari ea volendi, & quæren-  
di ratione, secundùm quam volumus, quæ-  
rimusque bona magni pretii, & per se expeti-  
di-

digna : quærentes ea scilicet , cum pronitate , & adhæſione animi , ſtudioſè , ardentè , jucundè . Adeò ut quæſtionis propoſita ſenſus ſit , num amor divinus , quando ad ſummum perfectionis ſuæ gradum evaſit ; non aliter quæri à nobis patiatur virtutes , gratiamque ſanctificantem , & gloriam cæleſtem , quàm quo pacto quæri ſinit cibum , ſomnum , & reliqua mortalis vitæ neceſſaria adjumenta , hoc eſt citra peculiarem animi inſtinctum , citràque aviditatem ea largè parandi , & eis utendi : an potiùs à ſumma illius perfectione níl diſcrepet , finire , ut altioris hæc generis bona quæramus libenter , ſedulò , enixè , cumque ea propenſione , & hilaritate , quæ veri , ac germani amoris eſt propria .

2. Neque nullus eſt ambigendi de re ſic propoſita locus . Quantò enim vehementior cujuſcunque objecti amor in anima eſt , tantò magis eam ſibi vendicat , diverſiſque à ſe objectis amandis minùs habilem reddit : & ubi ad ſummam intenſionem pervenit , totam uſquequaque occupat , nullum in eam aditum alteri curæ , atque affectui relinquens . Ex quo principio conſequitur , ſi quis adhuc in anima propriarum ſuper eſt rerum ſenſus , amorem divinum nondum univerſis illius  
po-

potitum esse facultatibus, neque ad totam, cuius capax est, perfectionis suæ plenitudinem in ea devenisse: ac proinde cuilibet quàm perfectissimè DEUM amare expetenti, contendendum esse, ut non modò nihil amet, nisi propter ipsum, sed neque quidpiam diligat extra ipsum: volens quidem, & quærens supernaturalia suæ animæ decora, quia DEUS id fieri à se vult; sed nihil in iis spectans, & pro materia delectationis suæ habens, præter meram DEI voluntatem, & gloriam: quo pacto illa quærere, non ipsa formaliter, proprièque amare est, sed unum in ipsis DEUM diligere.

3. Et Confirmatur huiusce argumenti vis celebri illa D. Antonii Abbatis sententia, orationem tunc perfectam esse affirmantis, quando anima adeò in DEUM tota absorbetur, ut omni amisso sui sensu, nè orare quidem se advertat: cum dici similiter possit, tunc perfectè DEUM à nobis amari, quando totis ità sensibus in eo uno occupamur, ut neque hoc ipsum, quòd eum tunc amemus, menti nostræ obversetur. Confirmatur in super testimoniis tum D. Areopagitæ, qui, ut anima per intimam conjunctionem penitùs DEO adhæreat, à creatis etiam spiritualibus

objectis docet esse avellendam: (Theol. Myst. c. 1.) Tu verò, inquit, & sensibilia, & intelligibilia omnia relinque, ut ad unionem ejus, qui supra essentiam est, indemonstrabiliter assurgas. Siquidem per absolutam, & puram tui ipsius avocacionem ad supernaturalem illum divinæ caliginis radium eveheris: tum magni Ecclesiæ Doctoris Augustini, qui vult, ut, quemadmodum oblita est anima se ipsam, amando mundum; ita nunc obliviscatur se, amando artificem mundi: (Serm. 54. de Verb. Dom.) addens, tantò perfectiorem eam fore, quanto sui miùs meminerit: (L. 3. de Lib. Arb. c. 25.) Melior est animus, cum obliviscitur sui pro amore incommutabilis DEI: tum D. Bernardi, qui puram hanc, & Seraphicam charitatem admirans, temperare animo suo nequit, quin exclamet: (De Dilig. Deo sub Med.) O amor sanctus, & castus! ô suavis, & dulcis affectio! ô pura, & defæcata intentio voluntatis! Eo certè defæcator, & purior, quòd in ea de proprio nihil jam admistum relinquitur: eò suavior, & dulcior, quòd totum divinum est, quòd sentitur. Sic affici, deificari est. Confirmatur denique exemplis S. Teresiæ, & B. Catharinæ Genuensis: quarum prior hanc maxime familiarem habebat orandi formulam, (In Rel. Vit. c. 35.) Nulla mi

mei ipsius tangit me cura: te unum Domine ex-  
 peto: altera verò dictitabat, ( *In Vita c. 14.* )  
 Purum amorem nihil posse à DEO velle, esto san-  
 ctum, quod participatio vocetur, neque ipsam in-  
 tueri participationem posse, à DEO sejunctam, &  
 veluti quid creatum sibi inhaerentem: sed clamare  
 cum magno animi ardore, meum esse DEUS est,  
 non per meram participationem, sed per veram  
 transformationem, & exinanitionem proprii esse:  
 atque hinc fieri, ut ipsa nulli rei permittat intra  
 se aditum, nisi DEO, & minimè omnium sibi ipsi,  
 utpote qua nihil magis illi est contrarium.

4. Nihilo tamen minùs affirmo, usque  
 adeò ad divini amoris perfectionem nequa-  
 quam requiri vacuitatem in anima cujuscun-  
 que propensionis, atque affectùs erga super-  
 naturalia bona; ut idemmet amor divinus nos  
 potius impellat ad hæc bona maximi æsti-  
 manda, dulcique cum spe, & flagranti avidi-  
 tate quærenda. Quid enim? nonne expref-  
 sa DEI voluntas, & consequenter publica a-  
 moris divini lex est, ut quilibet amico, & be-  
 nevolenti animo erga singulos homines sit,  
 ut de veris ipsorum bonis impensè gaudeat,  
 & ad illa acquirenda eos solcitè adjuvet? Er-  
 go nemini esse dubium potest, cum neminem  
 fugiat, in hoc veram erga proximos charita-  
 tem

tem consistere, virtutem nimirum eximie a-  
 deò in sacris Literis commendatam, tamque  
 nesciam perfectæ charitati erga DEUM ad-  
 versari; ut juxta communem Theologorum  
 sententiam, eadem cum illa sit virtus. Qua-  
 ro jam ex adversariis, num minùs, aut aliter  
 debeat homo se ipsum, quàm reliquos mor-  
 tales diligere? Negabunt profectò: cum lex  
 divina ex amore, quo nos ipsos prosequimur,  
 exemplum illius nos sumere jubeat, quo pro-  
 sequi alios debemus: *Diliges proximum tuum,*  
*inquiens, sicut te ipsum.* Si ergo perfectus  
 DEI amor ab amica, & dulci erga proximos  
 affectione animi nos minimè revocat, imò ad  
 eam potius impellit; quonam pacto obstare  
 nobis poterit, nè eandem foveamus erga nos  
 ipsos? Argumentum ineluctabile est; novi-  
 que accessionem roboris à Christi Domini  
 autoritate accipit, quem disertissimè horta-  
 tum suos fuisse discipulos legimus, ut promi-  
 sam sibi ab interitu cælestem gloriam hilari  
 spe, & dulci gaudio præciperent, tum illis  
 apud D. Lucam verbis: (c. 10.) *Gaudete, quòd*  
*nomina vestra scripta sunt in cælis;* tum aliis e-  
 jusdem sensûs, à D. Matthæo recitatis: *Gau-*  
*dete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa*  
*est in cælis.* (c. 5.)



5. Superest tantum, ut veriori quæstionis parte hunc in modum firmata, ad subruenda alterius ipsi contraria fundamenta vertamur: quod haud magni negotii res erit. Si enim certi unius objecti amor voluntatem, qua potitus plenè est, totam in se detinet, nec finit ad alia objecta amanda divertere, non de aliis quibuscunque objectis intelligendum id est; sed de illis tantummodo, quæ nullam cognationem cum objecto in ipsa dominante habent. Nam quantum ad alia naturali quapiam affinitate cum ipso conjuncta, ejus amor usque adeò ab his quoque amandis minimè animum retinet, ut ad id potius incitamento illi sit. Quemadmodum præmonstrante D. Thoma videre fas est. (*L. 1. c. Gent. c. 75.*) tum in amore cujuslibet finis, qui ad media simul cum eo amanda voluntatem impellit; tum in eo, quo universalem aliquam formam, dulcedinem exempli gratiâ, pulchritudinè mve prosequimur; cum quantò validior illius formæ amor est, tantò etiam vehementiùs, quæ illam sibi inhærentem habent, dulcia putà, & pulchra omnia amari necesse sit. Jam verò certissimè constat, virtutes, & alia supernaturalis ordinis bona illa esse media, quibus inprimis ad ser-

viendum D E O habiles reddimur, illaque objecta, in quibus præcipuè sanctissima DEI reperitur voluntas. Si ergo cuiusvis personæ amor non excludit, sed excitat potius amorem illi gratificandi, illiusque voluntatem implendi, neque amor gratificandi cuiuspiam, implendæque illius voluntatis impedimentum est, sed incitamentum potius ad ea amanda, quibus persona illa delectatur, & per quæ placeri illi potest: quoniam pacto fieri posse dicemus, ut qui perfectè DEUM amat, non indè moveatur ad amandam efficaciter illius voluntatem; seu ab efficaci hujus amore impediatur, nè amet virtutes, in quibus reperitur, & per quas illa impletur?

6. Video tamen, quid hic possit à contrariæ sententiæ patronis reponi: alterum purè contemplativum, cuius tota exercitatio sit, ipsum per se absolutum DEI esse intueri, inque secreta illius admiratione, & delectatione acquiescere; alterum verò practicum, qui ejusdem DEI voluntatem, & gloriam, quatenus à nobis impletur, curaturque, pro peculiari objecto suo habet; ex quibus licet hic secundus disjungi nequeat à studiis sanctimonii, & virtutis, inò quantò magis in anima effervescit, tantò illam ad ejusmodi studia

dia acrius impellat; prior tamen ille creata quævis objecta supergressus, usque adeò divinam intrà essentiam totus immergitur; ut neque homines, neque Angelos, nec virtutes, nec vitia, nec cælum, nec inferos, aut quidquam aliud, quod non est ipse DEUS, cogitare, aut sentire soleat. Sed allata responsio nullius est ad labefactandam propositionem meam ponderis. Esto quippe valeat amor divinus ità penitus extra se, & creata omnia in supremum suum objectum animam rapere: ut absorptæ, & attonitæ nullam, non terrenarum modò rerum, sed neque supernaturaliũ, & quibus cæteroqui delectus suus Dominus maximè delectatur, cogitationem relinquat, quotus tamen quisque non videt, nulla humana vi animam posse, dũ mortali etiamnum corpore includitur, totque illius necessitatibus circumvenitur, in statu amoris tam simplicis, tamque prorsus divini innotam continenter durare: sed à præsentis conditione sua cogi, ut ecsteticam illam suarum omnium facultatum in DEO uno occupationem subinde interrumpat, perque magnã diei partem jam de se ipsa, jam de hominibus, inter quos agit, jam de rebus, quæ necessariò agendæ sunt, cogitet? Quod

cùm ità sit , quidnam , rogo , alienum à summa divini amoris perfectione erit , si per hæc saltèm temporis intervalla , quibus in DEI unius contemplatione defixi hære non possumus , practico illius amoris operam demus , & juxta hujus leges ad consecutionem nostri ultimi finis , & ad illarum virtutum actus , quas à nobis exerceri ipse vult , prout occasio se præbuerit , alacri voluntatis studio incumbamus ? Enimvero , si quæ minor perfectio hic posset deprehendi , in eo tantùm posita esset , quòd exercitatio prædicta , licèt DEI gratiâ suscipiatur , verúsque , & proprius illius amor sit , non tamen absolutus ille amor est , qui totam sua vi animam occupat , & ab omnibus creatis objectis avulsam , in DEO uno defigit . Sed jam vidimus , non posse humanitus fieri , ut quisquam mortalium amorem hujusmodi per omnem suam vitam sinè ulla intermissione continuet . Quamobrem , etiã aliqua hic appareret nostri erga DEUM amoris imperfectio , non tamen nisi necessaria illius imperfectio dicenda esset : veluti necessaria quoque ejusdem imperfectio est , quòd sit amor finitus , neque totam adæquare amabilitatem objecti sui valeat .

7. Præterquam quòd, etsi integrum nobis foret, perfectissimam illam mentis, & voluntatis in unum DEUM ecstasim, quamdiu vivimus, continenter producere, consentaneum tamen rationi esset, ut nostra illam sponte identidem abrumperemus, locum daturi exercitiis ad practicum DEI amorem spectantibus: cujusmodi sunt grata beneficiorum ab eo acceptorum recordatio, Sacramentorum usus, beatorum Cælituum cultus, dolor de admissis criminibus, alienæ salutis procuratio, cæterique actus virtutum, quos ille à suis famulis exigit. Neque hoc pacto abrumperentes minùs idcirco DEUM amaremus; cum neque alia nobis esset id faciendi causa, nisi studium divinæ voluntatis exequendæ; neque fieri ullo modo possit, ut quisquam ideo minùs DEUM amet; quia illius voluntatem exequi studet. Aliud ergo est, quòd anima DEUM sibi aliquando contemplandum proponens, secundum sua absoluta decora, ut esse increatum, æternum, necessarium, infinitum, immutabile, pulcherrimum, perfectissimum, beatissimum, imò ut totum esse, totam perfectionem, totamque pulchritudinem; ita penitus, & secundum omnes suas facultates in admirationem,

nem, amorémque incomparabilis objecti abstrahatur, ut minimè interim animadvertat seu munera ab eo sibi impertita, sive perpetrata contra eum à se crimina, sive utrum homines sint, & quid ab iis fiat, sive paratam sibi beatitudinem, & consequendæ illius vias, sive quid tunc à se agatur, suámque ipsam in rerum natura existentiam. Et aliud est rursus, quòd in hoc solitario, & à creatis imaginibus devia illius contemplatione immorari usque debeat, nunquam illum considerans secundùm alia nos respicientia ipsius decora, ut potentissimum nempe rerum omnium Conditorum, & Dominum, ut aequissimum Legislatorem, ut amantissimum hominum Patrem, ut primam honestatis totius regulam, utque summum nostrum bonum, & ultimum finem: à quorum decorum consideratione impellatur ad pertimescendam illius supra se potestatem, ad grato amore prosequendam illius erga se beneficentiam, & ad illi, quanta maxima potest, submissione, diligentia, & fidelitate serviendum. Primum illud suis interdum temporibus utilis exercitatio est maximopere excel-  
lens, & fructuosa; digna proinde, quæ ab omnibus suscipiatur, qui illius capaces sunt.

Al.

Alterum hoc, quemadmodum nulli mortali-  
um seu possibile est, seu utile esset; ita à ne-  
mine nisi stultè affectari.

8. Illud solummodo posset hic à quopi-  
am requiri, uter scilicet ex prædictis contem-  
plandi, atque amandi DEUM modis mere-  
atur alteri præferri, diutiùsque, & majori  
studio exerceri: illéne, qui totam animam in  
pura, absolutaque DEI essentia immobiliter  
figit, sinè ulla interim creati objecti memo-  
ria; an ille, quo eandem supremam essenti-  
am intuemur, prout etiam secundùm has vel  
illas perfectiones ad nos pertinentem, & cum  
animadversione servitutis, observantiæque  
debitæ? Qua super re si meam rogarer sen-  
tentiam, dicerem primum mihi excellentio-  
rem simpliciter, plurisque æstimandum videri,  
utpote cui innititur, & ex quo suam so-  
let mutuari perfectionem secundus: cum a-  
nima idcirco super omnia obsequium, & vo-  
luntatem DEI amet, quia super omnia DE-  
UM amat: ideóque ipsum sic amet, quia ut  
infinite amabilem secundùm absolutas perfe-  
ctiones suas concipit. Princeps itaque a-  
mor ille est, quo diligitur DEUS, qualis in  
se ipso est: atque ex eo deinde amor nasci-  
tur tum sanctissimæ ipsius voluntatis, tum re-  
rum

rum

rum omnium, in quibus ea reperitur: quantoque ille est incitator, tanto quoque major hujus strenuitas esse consuevit. Ambo tamen ad perfectè amandum necessarii animæ sunt, mutuísque in ea officiis se adjuvant: cum & primus operandi vim alteri tribuat, & hic illi efficacitatis complementum adjungat. Quocirca, si res merè secundùm se ipsam, & seorsum à conditionibus hujus, vel illius peculiaris personæ propriis spectetur; censebimus rem ab homine, qui perfectissimè amare DEUM cupit, amorem primi generis, unde tanquam ex radice pullulat, suæque vel perfectioris, vel minùs perfectæ operositatis mensuram ducit secundus, pluris æstimari, ac libentius exerceri oportere: ita ut, quàm distinctissimè à creatis objectis mentem segreget, intraque immensum, ac purissimum unius DEI Esse totam penitùs mergat: nihil tunc seu de aliis mortalibus, & illorum eventis, seu de se ipso, deque rebus ad suum munus, ad suam animam, ad suum corpus spectantibus, seu de ipsa præsentì contemplatione sua cogitans, sed infinitam solummodo excellentiam, pulchritudinèque demirans increati sui objecti, quod ipsi unum est plùs quàm cetera omnia: tantòque illud amans vehementius,



ùs, quantò minùs vel suum ejus amorem, il-  
 li unicè intentus, advertit. Quemadmodum  
 Seneca observat, tantò profundiorè som-  
 num esse, quantò minùs libertatis dormien-  
 ti relinquit, ut dormire se advertat. (*Epist. 53.*)  
*Qui leviter dormit, aliquando dormire se dormi-  
 ens cogitat. Gravis somnus etiam somnia extin-  
 guit, aliùsque animum mergit, quàm ut ullo in-  
 tellectu uti sinat.* Sed quia, ceu jam dixi, nec  
 possibile, nec consonum rationi est, amorem  
 tam solitarium, atque ecstaticum perpetuò  
 exercere; æquum erit, ut justo aliquo tem-  
 pore sic exacto, eum interrumpat, inque a-  
 moris alterius practici actibus, tam interio-  
 ribus, quàm externis se occupet, sedulò re-  
 putans, quidnam faciendum sibi sit, ut volun-  
 tatem DEI quàm exactissimè impleat, ut in  
 ejus famulatu amplius proficiat, utque major-  
 rem mereatur apud eum gratiam, & magno  
 cum animi ardore ad omnia hujusmodi præ-  
 standa se accingat. Quanquam neque ibi  
 debet perpetuam sedem figere, & quasi in cu-  
 rarum suarum centro subsistere; sed ab illo  
 amore actuoso, & sollicito erga plurima ad qui-  
 etam DEI unius contemplationem reverti:  
 quò suæ ibi charitatis ardores vividius in-  
 flaret, iisque in sua illa sphæra auctis, prio-  
 rum

rum

rum actuum multipliciter alacrior restimat, per alternas ita vices jam in DEO quiescens, jam pro DEO laborans: jam, quod ipse est, jam, quæ vult, amans: jam extra se egrediens, ut intimius cum eo copuletur, jam ad se remeans, ut ei gnavius deserviat, juxta illud Christi Domini de se effatum: *Exiit à Patre, & venit in mundum: iterum relinquit mundum, & vadit ad Patrem.* (Joa. c. 16.) Quod fuerit, omnes omnino partes, & numeros integerrimæ charitatis absolvere: non permitiendo, ut illius perfectioni seu affectus, seu effectio, seu dulcedo, seu vigor, seu sublimitas, seu utilitas desit.

9. His porrò ita constitutis, nullo alio responso jam egent Sanctorum testimonia, & exempla pro contrariæ opinionis firmamento superius allata. Cùm referri omnia ad illud solummodo tempus possint, quo anima se, & reliquam omnem creaturarum rerum universitatem supergressa, uni DEO contemplando, amandoque totis suis sensibus vacat. Tempus enimvero fortunatum, quodque fruendæ in cælo beatitudinis imago appellari potest: nisi quòd nimium quàm citò prætervolet; prout nedum nos, vulgares animæ, & quantum ad interiorem obtutum

vespertilionibus similes experiri quotidie cogimur ; sed vel D. Bernardus, aquila nimirum in æterni solis fulgores mentis aciem defigere assueta, planè, disertèque testatur : beatum vocans, cui vel rarò, nec nisi obiter ita in DEUM rapi contingit : (*De Dilig. Deo post med.*) *Beatum dixerim, cui tale aliquid in hac mortali vita, rarò interdum, vel semel, & hoc ipsum raptim experiri, donatum est. Te enim quodammodo perdere, tanquam qui non sis, & omnino non sentire te ipsum, & à temetipso exinaniri, & prope annullari, cælestis conversationis est, non humanæ affectionis.* Quo tempore, fateor ipse etiam cum citatis ibi sacris Authoribus, animam suimet oblivisci, nihilque non sensibilem modò, sed & intelligibilem rerum, ac nè ipsum quidem suum DEI amorem advertere : qui ejus amor nil creati respiciens, purè divinus, ac penè deificus mereatur vocari. Sed tempus sic amandi, ostensum jam est, neutiquam posse in præsentis vita esse perpetuum : & quamvis posset, fatiùs nihilominus fore, ut illud nos ultro identidem abrumperemus, nè nullus relinqueretur in teris locus amori actiuoso : minùs illi quidem sublimi, & jucundo, sed tamen necessario, & quantum ad plerosque mortali-um tutiori, magisque fructuoso.

C A.